

subditos ad mutandum similem consuetudinem, quæ multum movisset principem si illam scivisset : ergo non est verisimile voluisse obligare contra talem consuetudinem.

12. *Regula illius textus quo se extendat.*— Quamobrem probabiliter censeo non esse restringendam regulam illius textus ad consuetudinem præscriptam, sed intelligendam esse de consuetudine rationabili et honesta, et tam publico usu et tanto tempore firmata, quod sufficeret ad legem introducendam, si princeps illam sciret, eo quod prudenti arbitrio verisimile sit principem fuisse in illam consensurum, si illam sciret. Tunc enim, ob contrariam rationem, non est verisimile velle contra illam obligare per legem generaliter latam, seu velle illam tollere, dum illam ignorat, nisi expressius id declaret; nam in talem consuetudinem, et verba et ratio dicti cap 1 optime cadunt; nam verbum *derogandi* recte etiam de tali consuetudine dicitur; tum quia dici etiam solet de aliis juribus justitiæ, quæ non sunt leges, ut dicimus principem, concedendo privilegium, nolle derogare juri tertii; tum etiam quia illa consuetudo de se sufficiens esset ad jus inducendum, nisi obstasset principis ignorantia; tum denique quia populus habet quoddam jus, ut non cogatur mutare talem consuetudinem, cui non intelligitur velle derogare princeps, nisi id exprimat. Et ita responsum est ad rationem in contrarium.

13. *Respondetur ad dubium.*—Et ad ultimam confirmationem, dicitur verum esse non posse unum et idem tempus hujus consuetudinis designari, satis vero esse quod prudenti arbitrio discerni possit, sicut supra dicebamus consuetudinem non præscriptam posse inducere jus, si princeps illam sciat; tempus autem ejus non esse idem, nec definitum pro omnibus, sed prudenter determinandum esse juxta consuetudinis circumstantias; idem ergo tempus, idemque judicium dicimus in præsentem sufficere. Et certe hoc supponunt omnes qui docent consuetudinem nunquam introducere legem, nisi sciente principe; illi enim negare non possunt decisionem dicti cap. 1, scilicet, legem generalem non abrogare consuetudinem particularem ignoratam a principe, quamvis, ex sententia illorum, nondum legem introduxisset. Denique usu videtur esse receptum ut, in defendenda particulari consuetudine contra generalem legem, non rigore spectetur aut allegetur tempus longum necessarium ad præscriptionem, sed tantum honestas con-

suetudinis, et quod judicio prudentum sufficienter firmata sit.

14. *Dubium.*—Dubitari etiam potest circa præcedentem regulam, utrum per legem particularem simpliciter latam a Papa, vel ab alio simili universali principe, pro certo loco, Episcopatu, etc., derogetur particulari consuetudini contrariæ ejusdem loci. Et ratio dubitandi est, quia lex derogat consuetudini antecedenti, si adæquate, ut sic dicam, comparentur, id est, lex generalis ad consuetudinem generalem, et particularis ad particularem, ut de priori parte diximus in priori regula, et de posteriori parte videtur esse eadem ratio. Unde etiam ibi diximus, per statutum loci latum a communitate ejusdem loci habente potestatem statuendi, revocari privatam consuetudinem, licet illius non fiat mentio: ergo a fortiori idem dicendum est si statutum fiat a principe superiore, cum major sit ejus potestas.

15. *Per legem particularem a Papa latam non revocari consuetudinem nisi, etc.*—Nihilominus dicendum videtur per talem legem non statim esse revocatam consuetudinem, nisi præcedat populi consensus, petitio, aut informatio, vel alia via constet latam esse a principe cum scientia consuetudinis. Ratio est, quia non minus procedit in tali lege decisio dicti capituli primi, quam in lege generali, quia non minus præsumitur princeps ignorare consuetudinem privatam ferendo unam legem quam aliam, et alioqui supposita ignorantia, non censetur velle derogare consuetudini, nisi id exprimat. Et hæc est differentia clara inter principem universalem, vel particularem seu proprium statuentem, quia in principe supponitur dicta ignorantia facti, non vero in particulari communitate aut gubernatore. Atque ita verba illius capituli primi generalia etiam sunt de omni constitutione a Papa noviter edita. Est etiam optima conjectura, quia cum res possit esse dubia, vel obscura, si princeps voluisset legem suam particularem valere, non obstante consuetudine contraria, expressisset; ita enim fieri solet receptissimo usu et juri consentaneo: ergo dum non addit, præsumendum est noluisse consuetudinem revocare. Et hoc in praxi est observandum pro multis legibus quæ, respectu potestatis a qua feruntur, et respectu communitatis ad quam illa potestas extenditur, sunt particulares, et universaliter feruntur pro aliqua diocesi vel congregatione cujus consuetudines, licet in illa generales sint, sunt particulares respectu prin-

cipis, et ideo non censentur derogatæ per tales leges, nisi in eis exprimentur. Hinc etiam consuetudo non censetur derogata per privilegium a principe concessum, nisi clausulam derogantem contineat, ut infra suo loco dicitur.

16. *Objicit Glossa.*—*Respondetur.*—Sed objici potest ratio qua utitur Glossa in dicto cap. 1, verb. *Singularium*, scilicet, quia talis lex superflua et inutilis esset, nullum enim effectum posset alicubi habere; lex enim generalis, licet in uno loco non tollat consuetudinem, non est inutilis, quia in reliqua tota communitate obligat; lex autem lata pro loco vel congregatione speciali, si ibi impeditur propter consuetudinem particularem contrariam, inutilis esset. Item videtur contra obedientiam debitam superiori principi, contempta illius lege in propria consuetudine persistere. Responderi potest legem illam de se utilem esse et efficacem; per accidens autem et ex ignorantia consuetudinis non habere effectum, neque hoc esse contra obedientiam et reverentiam superiori debitam, quia creditur esse juxta illius voluntatem jure communi explicatam. Adde vero legem illam non esse inutilem, neque omnino carere effectum; nam obligat subditos ad reverenter illam suscipiendam, et recurrendum ad superiorem, consuetudinem suam et rationem ejus allegando, cum animo servandi legem si, non obstante consuetudine jam cognita, superior voluerit legem observari. Interim vero non tenentur contra consuetudinem agere. Quæ omnia a simili optime confirmantur ex cap. *Si quando*, de Resc., cum his quæ ibi notantur.

17. *Quæ verba addenda sunt ut consuetudo censeatur abrogari.*—*Immemorialis consuetudo quando censeatur abrogari.*—Tandem explicare oportet quæ verba addenda sint in lege generali, seu principis, ut censeatur consuetudinem abrogare: nam in d. cap. 1 dicitur: *Nisi expresse caveatur in ipsa*; in quo solum occurrit advertendum hanc derogationem ordinarie solere fieri per particulam *Non obstante contraria consuetudine*, vel alia simili, seu æquivalente, aut quæ illam virtute includat, de quibus clausulis dicam ex professo in lib. 8, circa revocationem privilegiorum. Quando autem per hujusmodi verba retractetur tantum consuetudo præterita, vel prohibeatur futura, aut etiam reprobetur, satis in superioribus tractatum est. Solum ergo potest hic inquiri an per illa verba absolute prolata retractari censeatur immemorialis consuetudo, vel solum alia,

de quarum initio constat. In quo tres sunt sententiæ. Una est absolute affirmans, per clausulam *Non obstante consuetudine in contrarium*, revocari consuetudinem, etiam immemorialem, licet in illa clausula non addatur particula distributiva *quacumque*, vel alia similis. Ita Card. Ratio esse potest, quia negatio est sufficiens distributio, cum omnia destruat. Alia sententia est, addita distributione, comprehendi consuetudinem immemorialem, non vero sine illa. Ita plures canonistæ, et Glossæ allegatæ a Covar. Ratio prioris partis esse potest specialitas immemorialis consuetudinis; posterioris autem fundamentum erit, quia illa veluti geminata distributio vincit illam specialitatem.

18. *Tertia sententia de consuetudine immemoriali approbatur.*—Tertia sententia est, etiam addita distributione, non revocari talem consuetudinem, nisi addatur etiam *immemoriali*, vel aliquid æquivalens. Ita tenent multi juristæ, quos referunt et sequuntur Covar., l. 3 Variarum, cap. 13, n. 5; et Tiraquel., de utroque retract., tract. 2, § 1; Glossa 2, n. 25; idque insinuavit Glossa in Authent. *Ut de cætero*, cap. 1, verbo *Præscriptione*; cum enim textus ille dicat: *Nulla præscriptione objicienda, etc.*, Gloss. addit, *nisi centenaria*: nam hæc immemorialis reputatur; imo addit *vel quadragenaria*, quod nimium est; sentit vero, quoties revocatur consuetudo, vel negatur præscriptio, intelligi de ordinaria consuetudine, aut præscriptione longi temporis, non vero longissimi, et multo minus immemorialis. Sicut jura civilia dicunt servitutes discontinuas non præscribi, l. *Servitutes prædiorum*, ff. de Servitut., et nihilominus non intelligitur præscriptio temporis immemorialis, exclusæ leg. 3, § *Ductus aquæ*, ff. de Aqua quotid. et æsti. Atque hoc fere tantum fundamentum ad confirmandam hanc sententiam affertur. Quod ita induci potest; nam cum initium consuetudinis ignoratur, consequenter etiam ignoratur an jus illud fuerit constitutum solo usu, vel aliunde duxerit initium ex aliquo privilegio, constitutione, aut alio simili: ergo merito dicimus talem consuetudinem non satis derogari per generale nomen consuetudinis, quia habet quamdam superiorem rationem. Adde, ob hanc causam, immemorialem consuetudinem valde specialem in jure reputari, habereque multa specialia privilegia, ideoque non comprehendi sub generali clausula, juxta aliam vulgatam regulam juris. Atque ita hæc sententia in praxi observari potest. Addi vero illi

solent aliquæ limitationes, quæ ad materiam de præscriptione spectant; hic vero necessariæ non sunt; videatur Tiraq. supra.

19. *Secunda conclusio.* — *Consuetudo antiqua per subsequentem derogari potest servata proportione.* — Secundo: principaliter dicendum est consuetudinem antiquam per subsequentem abrogari posse, servata proportione, id est, universalem per universalem, particularem per particularem in eodem loco; nam in diversis non sunt contrariæ: universali vero derogari per particularem alicujus loci; pro illo etiam loco universalem denique derogare particulari. Ita fere Hostiens. in Summ., eod. tit., § *Quæ cui præjudicet*, et omnes. Et ratio generalis est, quia ita comparantur consuetudines inter se, sicut leges et consuetudo, servata proportione. Unde quod dicitur in § penult. Instit. de Jur. natur.: *Ea quæ civitas constituit sæpe mutari solent, vel tacito consensu populi, vel alia postea lege lata*, sicut est verum de his quæ jure scripto sunt constituta, ita etiam a fortiori de jure non scripto, quia non minus, imo magis videtur posse mutari tacitus consensus per tacitum contrarium, quam expressus per tacitum; sed hoc potest fieri, ut ostensum est; ergo. Unde imprimis necesse est consuetudines esse contrarias: nam si possunt ad concordiam reduci, observandæ sunt, ut Hostiens. ait; supposita autem contrarietate omnia membra sunt clara. Solum in ultimo oportet advertere in consuetudinibus non habere locum clausulam derogantem, quia non habent verba, sed opera, et ideo necessarium esse ut consuetudo universalis ad derogandum particulari extendatur ad locum illum in quo particularis consuetudo antea erat. Et tunc est clara, quia tunc consummatur oppositio contradictoria, ut sic dicam, et populus ille jam consentit; secus vero erit si tantum sit universalis in reliquis partibus provinciæ, aut regni, quia hæc non poterit obesse particulari consuetudini tenaciter retentæ, sicut nec lex universalis illi derogat.

20. *De tempore et actibus quibus consuetudo revocatur.* — Quæri autem potest quanto tempore vel quibus actibus posterior consuetudo derogat priori. Dicendumque est non sufficere unum, nec plures actus contrarios, sed requiri consuetudinem præscriptam, vel sufficientem ad revocandam legem. Ita Glossa 2 in l. *Nemo*, 166, ff. de Regul. jur.; Hostiens. supra, § *Qualiter*, verb. *Sed numquid*; Panormit., dicto cap. ult., n. 19, ubi late Rochus, sect. 4, n. 89 et sequentibus; Felin., in cap. *Cum acces-*

sisent, n. 30, in fine, ubi in scholio multi alii allegantur. Et ratio est, qui nulla consuetudo potest inducere novum jus, nisi sit præscripta, vel consensu principis probata, et consequenter nec potest priorem consuetudinem abrogare, nisi ejusdem principis consensum habeat. Unde ad minimum est necessarium decennii tempus, ignorante principe, vel arbitrium secundum prudentiam, si princeps scientiam habeat novæ consuetudinis.

21. *Tempus canonicæ præscriptionis requisitum ut una consuetudo derogat alteri.* — *Quando sufficiat tempus decennii.* — *Quando 40 anni requiruntur.* — Quæri autem potest an in ecclesiasticis consuetudinibus requiratur tempus quadraginta annorum, ut posterior revocet priorem. Panormit. enim dicit indifferenter sufficere tempus decem annorum; sequitur Felin. et reddit rationem, quia posterior consuetudo non est contra jus; quod sic declarat, quia, vel prior consuetudo fuit contra jus, et posterior est secundum illud antiquius jus, quod per priorem consuetudinem revocatum fuit, et sic ad illud facilius fit regressus: vel prior consuetudo fuit præter jus, et sic etiam posterior erit præter jus, et ita semper in posteriori consuetudine sufficiunt decem anni. Hunc vero discursum non approbat Rochus supra cum Barb. ibi, et mihi etiam videtur difficilis, quia nulla ratio juris non scripti in eo habetur. Et ideo breviter censeo primo, si prior consuetudo non fuit contra, sed præter jus, posteriorem esse simpliciter contra jus, et ideo postulare tempus canonicæ præscriptionis. Probatur, quia prior consuetudo induxit jus cui est contraria posterior, quæ non est conformis alicui juri. Item si prior consuetudo fuit universalis, et posterior particularis, est id evidentius, quia consuetudo universalis jus commune inducit; idem autem videtur, si prior fuerit particularis ejusdem loci, et juri communi non contraria. Nam consuetudo contra simile statutum esset contra jus, et postularet tempus canonicæ præscriptionis; ergo idem est de consuetudine: nam est æqualis ratio. At vero si prior consuetudo fuit contra jus commune, quod non fuit omnino ablatum illa consuetudine, quia non fuit universalis, sed particularis, quæ illi derogavit, tunc probabile est posteriorem consuetudinem decem annis præscriptam sufficere, quia non est simpliciter contra jus, quia jus commune semper manet ad quod per illam consuetudinem fit regressus, et tunc procedunt quæ Felin. tradit. Secus vero censeo, si prior consuetudo

fuit universalis, et omnino abrogavit jus universale antecedens; nam tunc existimo necessariam esse præscriptionem canonicam quadraginta annorum contra talem consuetudinem, quia posterior consuetudo jam est omni-

no contra jus commune inductum per priorem consuetudinem. Aliud enim jus antiquius utraque consuetudine, perinde se habet ac si non præcessisset, quia omnino sublatum est. Et hæc de consuetudine sufficiant.

FINIS LIBRI SEPTIMI.

INDEX CAPITUM LIBRI OCTAVI

DE LEGE HUMANA FAVORABILI.

- | | |
|--|---|
| CAP. I. <i>Quid sit privilegium.</i> | CAP. XI. <i>An privilegium extendatur ad conjuncta seu correlativa.</i> |
| CAP. II. <i>An scriptura sit de substantia privilegii, et quomodo a rescripto, dispensatione seu beneficio differat.</i> | CAP. XII. <i>De communi et ordinaria forma privilegii.</i> |
| CAP. III. <i>De divisione privilegii in reale et personale.</i> | CAP. XIII. <i>Quæ sit substantialis forma privilegii sive absolute, sive sub conditione, aut modo concedatur.</i> |
| CAP. IV. <i>De privilegio remunerativo et conventionali; an reale sit vel personale.</i> | CAP. XIV. <i>An de ratione privilegii sit, ut per formalia verba juri communi derogetur.</i> |
| CAP. V. <i>De divisione privilegii in perpetuum et temporale.</i> | CAP. XV. <i>De forma privilegii quod vocatur ad instar.</i> |
| CAP. VI. <i>De quatuor aliis privilegiorum divisionibus.</i> | CAP. XVI. <i>De communicatione privilegiorum, et eorum collatione cum privilegiis ad instar.</i> |
| CAP. VII. <i>Utrum sit aliquod privilegium per se non scriptum, nec expresse concessum, sed usu comparatum.</i> | CAP. XVII. <i>Utrum communicato privilegio etiam restrictio ejus communicetur.</i> |
| CAP. VIII. <i>Quisnam possit privilegium concedere.</i> | CAP. XVIII. <i>An confirmatio privilegii sit nova illius concessio, vel quid sit, et an una ab alia differat.</i> |
| CAP. IX. <i>De materiali causa seu subiecto privilegii, seu cui possit concedi.</i> | CAP. XIX. <i>Nonnulla dubia circa confirmationem privilegiorum expediuntur.</i> |
| CAP. X. <i>Quodnam sit de facto subiectum privilegii quoad personam cui conceditur.</i> | |